

No. 83. 1313. 10. Febr.

Das Thomaskloster theilt dem Moritzkloster zu Naumburg seine geistliche Brüderschaft mit und verpflichtet sich zu Seelengedächtnissen für verstorbene Angehörige dieses Klosters.

Reverendis et in Christo multum dilectis fratribus suis praeposito, priori et conventui ecclesiae sancti Mauricii in Nuenburg C. dei gratia praepositus, Jo. prior totusque conventus monasterii sancti Thomae in Lipzk cum orationum suffragiis interminabilibus sinceram in domino caritatem. Quia paratos et benivolos ad subveniendum et consulendum nobis vos semper invenimus quem ad modum exhibitionis saepius evidentia demonstravit, reverendae vestrae fraternitati, quam semper propiciam et favorabilem habere volumus, cum gratiarum actione multiplici humiliter assurgimus et fideliter promittimus, nos semper debere ad vestras necessitates sufferendas in casibus similibus et maioribus et in verae fraternitatis spiritualium donorum et temporalium prosecutione amicabilem quocumque et quocienscunque a vestra fraterna caritate requisiti fuerimus et ad decedentium fratrum memoriam devote secundum formam infra scriptam peragendam his litteris praesentibus firmiter obligari. Quocumque die obitus vester ad nos devenerit, in capitulo recitabitur et psalmi Verba mea auribus cum reliquis pro eo legentur, memoria vero defuncti agetur in communi XXX^a diebus cum XXX^a missis vigiliisque si vacaverit totidemque praebendis, singuli vero sacerdotes dicent septem missas, diaconi et subdiaconi emancipati legent tria psalteria, fratres conversi CCCC^a et L Pater noster, sorores quae sciunt legere dicent tria psalteria, quae nesciunt legere faciant ut conversi. Omnia quae praedicta sunt fient pro clericis tantum et etiam pro pueris licet sint in scolis, pro conversis vero et sororibus fient in communi omnia quae praemissa sunt, scilicet in missis vigiliis praebendis et Verba mea, sacerdotes dicent tres missas tantum, diaconi et subdiaconi psalterium, fratres et sorores facient ut superius est praemissum. Acta sunt haec anno domini M^o.CCC^o.XIII^o. in die sanctae Scolasticae virginis.

Nach dem Orig. im Ernestinischen Gesamtarchiv zu Weimar. Die Siegel sind abhanden gekommen.

No. 84. 1315. 17. Sept.

Agnes Markgräfin von Brandenburg und Landsberg beurkundet, dass der Probst Johann auf ihr Gesuch der Begine Helewigis genannt von Sommerfeld die Erbauung und Bewohnung eines Häuschens bei der Peterskirche unter Bedingungen gestattet hat.

Nos Ag. dei gratia de Brandenburg et de Landesbere marchionissa recognoscimus et praesentibus profitemur, quod ad precum nostrarum instantiam Jo. praepositus regularium canonicorum ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk libera licentia Helewigi beginae de Sommervelt dictae divina clementia inspirante affectans includi domunculam quandam in qua deo feliciter serviendo tempore vitae suae prope eccle-